

Bünau.
Observatio de monopo.
lio sacro . . .



M

C

V
A

S

A




50
OBSERVATIO
DE
MONOPOLIO SACRO
MAXIME PERICVLOSO

86
QVAM
V I R O
CLARISSIMO AC IVRISCONSVLTISSIMO
GOTTLIEB
WERNSDORFIO
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS PROTO
NOTARIO IVR. VTR. CANDIDATO CAVSSA
RVMQVE PATRONO RECEPTO
SVMMOS IVRIS HONORES

CAPESENTE
D. XI. MENS. OCTOBR. c1o1oCCLXXIII
AMICITIAE ET MEMORIAE TESSERAM

D
GÜNTHER A BÜNAV
EQVES LVS.

He 2431

VITEMBERGAE
LITTERIS C. C. DÜRRII ACAD. A TYPIS

6. 7. 06.

MONOLOGIO SACRO
SACRIFICII

OMNIBUS ANIMIS
GOTTES
WIRTSCHAFT

STORIE
UNIVERS.
HALLE



VIR CLARISSIME
ATQVE CONSULTISSIME
AMICE
MVLTVS MIHI NOMINIBVS
HANC COLENDE.

Offero TIBI immaturum ingenioli mei
laborem, non in remunerationem be-
neuolentiae TVAE atque amicitiae, qua me
per duos annos et quod excurrit, condeco-
raſti et de qua hodiernus dies, laetus certe at

candidissimo calculo notandus! optime testatur,
quum me publice a Cathedra, quam scientiae
iuris perfectae TVAE atque absolutae splendore
refulgentem vidi, prouocas ad dubiola mea pro-
ferenda contra dissertationem TVAM co-
ruscantem radiis tam amplae ac longe patentis
in omni iuris genere eruditionis, quam prae-
fertim cognitionis sagacis in suspiciendo causa-
rum patrocinio, atque in diiudicandis iis, quae
in dubiorum recessu latent; offero TIBI non in
officiorum multorum TVORVM in me remu-
nerationem. Nam etiam si omni modo, quo
possim, exaequare contenderem eruditionem, be-
neuolentiam, amicitiam TVAM, me longe
semper inferiorem relinqueres atque ius priorita-
tis

tis exerceres. Sufficiat TE sentire, gratam at-
que amicam mentem meam me hoc munusculo
testari voluisse. Ita TE meas primitias acceptu-
rum confido, quas imperfecte edidi, quum ne-
que plura, quam breuem epistolam, scribere tem-
pus mihi permetteret, neque multis verborum am-
bagibus nauseam cuique creare vellem, neque
laudem me consecuturum praeuiderem. Sed
quid multa? WERNSDORFII MEI,
cuius nomini opusculum inscriptum est, virtutum
ornamenta longe maxima, moderatio animi, sin-
gularis modestia, amor aequitatis, in conuictu
comitas, sinceritas denique animi atque integri-
tas et omnium maxime ignoscendi aliiis facilitas,
me timentem erigit. Sed reponam calamum nil-

que amplius dicam, ne in adulatoris aut nimis
amicitiae tribuentis feruoris notam incurram.
Diu TV saluus atque incolumis virtutum
TVARVM praemia, quae TIBI parata con-
spicis, in templo Honoris consequaris atque au-
geas; ego vero etiam spero, TE hoc quaecun-
que meae in TE amicitiae pignus aequi bonique
consulturum esse, et me semper, sicuti adhuc, in
amicorum TVORVM lectissimorum numero
habiturum. Vale!







Naturam conditionemque veram atque
iustam ecclesiarum, si oculis non
fugitiuis spectamus in eamque peni-
tus penetramus, *societatem humanam libere inuitam
ad religionis, seu, vt rectius dicam, Dei cultum
exercendum esse aut esse debere* animaduertimus.
Etenim tam firmis atque inconcussis haec notio sta-
bilis est fundamentis, tanta perspicuitate oratio-
nis et tanto argumentorum robore probata et de-
monstrata, vt nil ad eam dubiam faciendam ex-
cogitari fingique possit. Ad illam vero societatem,
qua ecclesia describitur, non vi atque armis homi-
nes compellendos, sed argumentis commouendos
censeo, quia talis societas *libere* ineunda est. Et
talem ecclesiam primorum Dei nunciorum, in nouo
A foedere



foedere missorum, tempora ostendunt. At nostris seculis aliam esse ecclesiarum multarum sortem, longe ab illo priscorum communione remotam, quin potius in hierarchiam mutatam, reperimus. *Quamvis enim cultus diuinus PRINCIPALITER ita sit comparatus, ut praecipue IN SPIRITV ET VERITATE consistere debeat, et hunc in finem internam cordis deuotionem inclinationemque mentis ad summum numen desideret adeoque secundum indolem euangelii magis SPIRITV SPONTANEO ET DESIDERIO SINCERO expediri debeat, quam frenis et compulsionibus legum externis; pleraque tamen circa CVLTVM EXTERNVM legibus coadiuuis iure pontificio, sunt determinata, hominibus metu poenae externae proposita, et prohi dolor! QVO DAMMODO etiam inter protestantes recepta.* Ita conqueritur I. H. BOEHMERVS in *Iure Parochiali, Sect. IV. c. I. §. 1.* Nec iniuria. Nam ut vnum exemplum proferam, quo BOEHMERI iudicium confirmatum videas, magistratus, CARPZOVIO non satis caute iubente, in *iurisprudencia confistor. L. II. Tit. XVI. Def. 255. n. 3.* parochianos ad cultum adigere et hortari debet, quin nolentes et inobedientes pius magistratus cogit et compellit indictione certae saltim arbitrariae mulctae; et tales admonitiones armatae nos comitantur ad Sacrum lauacrum, ad peccata confitenda

confiteor

A

fitenda



fitenda compellunt, trahunt ad S. epulum, et descendunt nobiscum in sepulera. Extincta illa praesca Christianorum communione, cui quidem quodammodo nostra tempora repugnant atque aduersantur, malum quoddam triste, ingens et pestiferum in ecclesiam se insinuauit, quod tam firmiter infidet rei ecclesiasticae, ut ille, qui, quae sentit de eo, publice proferat verbis aut scriptis, statim pro inimico veritatis, pro infideli, turbarum ac rixarum autore habeatur ab iis, quorum interest occoecatos ocellos plebeculae tenere, quo tutius mali istius commodis fruantur. Quod quidem *Monopolii Ecclesiastici* nomine saepius occurrit in scriptoribus Iuris Canonici seu Ecclesiastici, cuius magna variaque pericula his paginis explanare constitui.

Ut vero, quam fieri potest maxime iis, qui semper defini describique quaecunque volunt, faciam satis, monopolii notionem primum in genere esse eruendam arbitror. Per monopolium autem in rebus secularibus constitutum, si attendimus ea, quae de eo varii multique Doctores scripsere, et quos singulatim recensere, inutile hoc loco negotium esset, Priuilegium intelligimus exclusiuum in odium plurium datum. Si quis autem forte per Priuilegium in fauorem vnus, aut plurium in



odium caeterorum explicare velit, is meum defensum circa hanc mea paulo verbosiorum definitionem frustra quaerat. Quod enim iure desiderant omnes et vnus tantum consequitur beneficio Principis, id modo vnus vel paucorum vtilitatem auget, aut saltem caeterorum, quos voluntas Principis excludit, commoda minuit. Inciderem certe in vituperium omnium, si cum illustri a *) BIELEFELDT dixissem, esse priuilegium exclusiuum a Principe vni aut pluribus concessum certam rerum speciem in tota regione aut vna prouincia faciendi ac vendendi. Etenim priuilegia omnia a) a principe solum, b) vni aut pluribus, non omnibus conceduntur. Quare verba: *a principe vni aut pluribus concessum*, superflua rescindenda sunt. Vt vero redeamus ad notionem de monopolio datam, in ea discrimen inter monopolia strictae dictae et inter priuilegia societatis, ob mercaturam praecipue Indicam initis, data non obseruari, obici mihi poterit. Verum enim vero permagnam differentiam reperies atque dilucidam, illa enim competunt vni aut perpaucis ita, vt nemo alius priuilegii particeps fiat, quamuis fieri velit aut possit; haec quidem dantur quibusdam et quodammodo

*) In systemate artis regnandi Part. I. Sect. XIII. §. XXVIII.



dammodo exclusiue, ita tamen, vt cuique intrare in societatem priuilegiatam licitum sit, modo bonis et facultatibus necessariis gaudeat. *) Haec quamuis non ab omni parte beata sint praedicanda, vtilitatem tamen semper et iis, quibus concessa sunt, et reipublicae afferunt; illa vero maxime vituperanda, quum communi reipublicae saluti ob sint, iisque ipsis, ad quorum commoda permessa sunt, periculosissima aliquando fieri possint. Quare imperator ZENO in *L. un. C. de Monopoliis* sanxit: *si quis monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis expoliatus, perpetuitate damnetur exilii*, et omnes qui purius ac rectius de iuribus Principum statuerunt, audacter invehunt in hos *sytophantas et quadruplatores*, ex alienis dispendiis quaestui suo inhiantes, quae sunt verba ZIEGLERI de *Iur. Maiest. Lib. I. C. XLVII.* qui, et quae vero, ait, *maior in republica tyrannis esse potest vel pestis potius, quam inter turbatis commerciis, rerum necessariorum ad vitam tuendam, usum pendere a paucorum hominum aut vnius saepe arbitrio et auaritia?* Et profecto tanta malignitatis labe contaminata monopolia tantoque macularum squalore conspurcata, vt per Principis auctoritatem ac concessionem vitiositate non liberentur. *Potest enim,*

A 3

recte

*) BIELEFELDT, P. I. Sect. XIV. §. XLVI.

recte pergitzIEGLERVS, decus quondam Academiae nostrae, *etiam Princeps iniquum constituere et tale quid permittere, quod in perniciem civium tendit.* Concludit denique hisce gratis verbis: *fruantur igitur, qui monopolium ex gratia Principis exercent, suo hoc privilegio, sed ita, ne id fiat in dispendium reipublicae aut cum damno proximi.* Quam raro autem reipublicae aut aliis priuatis nullum inde damnum nascatur, ipsa experientia comprobatur.

Quemadmodum vero monopolium circa res, quae sunt in commercio, consistit in eo, vt penes vnum aut plures sit facultas vendendi et alios ad emendum de suis obligandi, id est, vt quidam gaudeant iure prohibendi seu excludendi, et iure cogendi in praeiudicium caeterorum; ita monopolium ecclesiasticum maxime se exerit *iure banuario* vel, quod idem est, prohibendi et cogendi*). Testantur de re nomina illa solemnia, Parochus, Parochiani, Parochia, et ius Parochiale, quin ipsum ius, quod ecclesiae in genere tribuunt Doctores. Etenim in ecclesia externa, temporibus Apostolorum vigente, societas aequalis et libera constituta erat, quae nullum admittebat imperium in conscientias, sed omnem respuebat coactionem.

At

*) BOEHMER. I. Paroch. Sect. II. C. I. §. XIX.



At ecclesia Parochialis magis mediis coactiuis et imperatiuis dirigitur, et quid notius, quam homines a suis Parochis non tantum precario, sed imprimis vi, adhibito brachio seculari adigi ad Sacram coenam, ad confessiones, etc. *) Vt vero lectori res eo citius innotescat, ad *constitutionem Parochiarum et administrationem Sacrorum* respiciamus, in quibus duabus satis superque monopolium sacrum fundatum videbimus.

Si itaque oculos mentesque conuertimus in Parochiarum constitutionem, imprimis monendum esse censeo, hanc denominationem primis post Christi redemptionem seculis plane ignotam fuisse. Iis enim temporibus ecclesiae nullis certis ac determinatis erant circumscriptae limitibus, libere convocabantur homines ad exercitium cultus diuini, libere et sponte veniebant ad audienda praecepta diuina, et Doctores vel propriis manuum laboribus alimenta sibi curabant, vel oblationibus collectis ab auditoribus vitam sustentabant. Ad ea itaque feliciora tempora applicari potest definitio in primis huius tractatiunculae lineis posita, qua ecclesiam Societatem Humanam *libere* initam esse dixi. At vero canones Pontificum aliam ecclesiis dedisse

*) BOEHMER I. c. C. II. §. XVII.



dedisse formam, nosque Protestantes eos secutos esse, quisque, qui legere scripta oculisque propofita cernere potest, iisdem omnem pene libertatem euerfam ac in feruitutem depressam reperiet indecoram. Introductum est atque constitutum ius Parochiale, vulgo dictum a Parochis, seu, vt rectius appellandos esse censet BOEHMERVS *in Iur. Paroch. Sect. II. C. I. §. V.* a Paroecis, qui ius ac priuilegium ipso munere exclusiuum aliquod impetrant et coactiuum.

Originem huius iuris et incrementa hic narrare supersedeo, cum iam ab aliis viris eruditione conspicuis explicata sint nec crambe sexcenties recocta stomachum onerare velim, sufficit scire, nos in ecclesia arctius restricta viuere. Praeteritis itaque modis, quibus quis sacerdotium captat, propius, quae monopolium circa constitutionem ecclesiarum ostendunt, videamus.

Nimirum tempore Constantini, qui per nimiam in clerum liberalitatem Magni cognomen sibi parauit quique, vt verbis ZIEGLERI *de Iur. Dot. C. I. §. XIV.* vtar, *otium et quietem ecclesiae fecit et libertatem Christianis restituit, tanto cum successu, vt non tuta tantum ea professio, sed et honorata esset, mundo velut intruso in ecclesiam, id est, auaritia et ambitione ecclesiam occupantibus,*
 multitudo



multitudo templorum ciuitatumque diuisio in certas regiones et curias ansam dederunt dominatui cleri *). Postquam enim gentiles coaceruatim professi sunt nomen religionis Christianae ac cunctae ciuitates cultum Christianorum diuinum receperunt, in maioribus plura templa vrbibus exstructa, limitibus certis ad normam regionum atque curiarum secularium circumdata sunt, ita vt homines, in hac vel illa Parochia degentes, eius templo et Parocho vt tenerentur, quo Parochus eo melius ac certius sciret, a quibus alimenta essent suppeditanda. Hinc inde episcopi praerogatiuam prae caeteris sacerdotibus, qui eorum praesidio subessent, singularem postulabant: hinc regimen ecclesiasticum distinctum ad ordines ciuium: hinc proprium clero concessum territorium, ita vt omnes clericalis territorii terminis inclusi cogerentur ad verba diuina audienda totumque cultum exercendum apud illius districtus Parochum atque ab alius ecclesiae sacerdote excluderentur: hinc querelae de finibus etiam atque etiam motae et hodiernis adhuc diebus mouentur, si intra limites huius alteriusue Parochiae nouam exstruendam curant ecclesiam, salute populi maxime urgente statimque ius prohibendi se exserit. Qualis enim, sodes, prohibendae

*) BOEHMER Iur. Paroch. l. c. §. XXXII.

hibendae dismembrationis, vt voce vsitata, si ex vna Parochia fiunt duae, vtar, causa est metus alienationis, quam cum pluribus canonum interpretibus etiam illustris BOEHMERVS in *Iure Paroch. Sect. III. C. III. §. IX.* pro iusta prohibendi defendit? *Hoc casu*, ait, (disiunctis Parochianis) tamen requiritur merito iusta causa, ne scilicet erigatur noua Parochia in praecudicium veteris Parochi et illi absque causa populus subtrahatur; vel si Parochorum interesse non adeo attendendum esse videatur, ex alia ratione tamen ad dismembrationem non est deueniendum, quia haec quandam alienationem continet, quae sine iusta causa suscipi nequit. Verum est, alienari nihil sine iusta causa debere, tot. *Tit. X. de Reb. eccles. alien. vel non*, quin si urgente necessitate vel euidente vtilitate, alienatio decreto iudicis ecclesiastici approbante sit facta, probata laesione restitutio in integrum locum habet *c. 10. X. de reb. eccles. alien.*

At vero in cuius praecudicium talis alienatio, quam fingunt Dd. in dismembrata ecclesia, fieri potest? in Parochi praecudicium, qui leue indetantummodo damnum sentit, quo exiguo certe plerumque commoda plurimum parantur. In cuius fauorem hic iudicari debet? nonne potius in nouae ecclesiae, quam Parochi veteris fauorem, quum illi

illi tanta relinqui debeant, quanta ad vitae necessitatem requirantur, quum plerumque parochi veteri redditus ad dismembrationem usque percepti ad vitam suam suppeditentur, aut alio modo ei satisfieri possit. At clerici successori tamen damnum inde crescit; ergone in huius praecidium facta est alienatio? nullum, respondeo, nullum inde sentit detrimentum, quia sacerdotium ei non datum, ut caperet emolumenta muneris spiritualis profana, sed salarium tantum subministratur, ut habeat, unde vivat, seu quia non alligabis os bovi trituranti, auctore CARPEZOVIO in *Iurisprudencia Confistor. Lib. I. Tit. VII. Def. XCVI. n. 7.* Hoc vero perpetuo vnum idemque necessario esse debere, ullam rationem proferre poterit nemo, nec ipsi optabunt, qui redditus tam exiguos e Parochia extricare possunt, ut vix alimenta necessaria habeant. Et, quaeso, quale successor damnum sentit? minus prioribus acquirit. At non acquirere non est alienare arg. *L. VI. ff. quae in fraudem credit*: Caeterum in terris Protestantium, praesertim dismembratio fit semper iussu ac confirmatione Principis, inuitis etiam Parochis, quorum interesse, id est, avaritia omnino nullam in deterius mutationem patitur; adest itaque hic alienatio necessaria ad dotandam novam ecclesiam et alimenta Parochi praestanda, arg. *L. XXII. §. IV. ff. ad*





Scutum Trebell. Quapropter dismembrationem semper salute populi urgente validam esse eamque concedendam ob quamcunque iustam causam nec attendendum Parochorum dissensum vel eorum luerum cessans, quisque videbit praeter istum, qui modo in ecclesia, tanquam agro fertili, labores spirituales suscipit, ut percipiat fructus vberiores ac pinguiores, non mentem, sed corpus sensusque suauiter tangentes.

Monopolium circa fines Parochiae ex hoc praesertim intelligitur, quod Parochus ultra fines res sacras administrare sine summo scelere nequit. Audiamus iterum saepius memoratum BOEHMERVM l. c. §. XIV. *effectus finium*, inquit, *constitutorum maxime in hoc sese exserit, ut quisque Parochus proprium ius habeat, quod quasi eius sit territorium, in quo residet et iura sua Parochialia exercet, ita ut nemo alterius Parochiae terminos aut ius inuadat; sed unusquisque suis sit contentus terminis. Neque aliud dicere possum, si faciem nostrarum Parochiarum inspicio, cum et hic fines alterius alter ingredi non debeat ceu falcem in alterius messem mittere, adeo ut vix ac ne vix quidem admittatur, ut Parochus alterius Parochiae subditum possit inuisere et preces cum eo ad Deum fundere. Cur? terminos seu limites Parochiales transgreditur.*
Quo,



Quo, addere mihi liceat veram ac solemnem
 rationem, laedit vel ambitionem alterius, vel
 avaritiam.

Quae pauca huc vsque narrata ad monopolium
 in ecclesiis constituendis cognoscendum sufficient,
 quum positis finibus libertas audiendi sacerdotem
 quemcunque restringatur, quin imo plane tollatur.
 Quod luculentius, ex *administratione sacrorum* ap-
 parebit. Age! examinemus primo *cultum diui-
 num*, quem liberum aequae ac sanae rationi con-
 formem esse oportere iam supra commemorauim-
 us, et ex ipsa notione tum Dei, tum praecipue
 hominis, tanquam entis liberi atque ratione prae-
 diti, cognoscimus. Quapropter maiores nostri in
 catechismo maiori ad praeceptum decalogi tertium
 dixere, *nos dies festos celebrare non propter erudi-
 tos Christianos: his enim nihil opus est feriis, verum*
primo COMMVNIS MVLTITVDINIS GRATIA,
seruorum, ancillarum cet. Deinde eam ob rem po-
 tissimum, *vt die Sabbathi, quando alias ei rei va-
 care non licet, otium et tempus impendatur cultui*
diuino; sed hoc apud nos NON PERINDE VT
APVD IVDAEOS. Sanctio itaque Sabbathi, quae
 apud nos a Principe venit, laudanda omnino est,
 atque obseruanda. At vero qui oves ad propria sta-
 bula cogendas, secundum dictum: *intrare com-*

B 3

pelle,

pelle, omni legum rigore sanctioneque poenali nolentes et inobedientes ad hunc, vel illum, exclusis aliis, audiendum adigendas arbitratur, et tam acerbum iudicem reperimus in venerando CARPZOVIO nostro *) Nonne, illum hic deferere iure debemus?

Quid autem de illa egregie excogitata *turbatione sacrorum*, sacerdos si in aliena ecclesia conciones habuit, sentiendum, quum ex mente CARPZOVII **) tam late sumendum sit, ut *quouis modo* ea fieri posse videatur? Nonne cum Boehmero optandum, ut legislatores christiani huic crimini, nam nomen, turbatio sacrorum, iam atrocitatis nota quadam signatum est: huic crimini, inquam, adeo late patenti, certos limites praefigerent, ne turbatoribus veris daretur occasio omnia ad turbationem sacrorum referendi. Quam ridicula enim est ista possessio vel quasi solitarii exercitii circa conciones, qua niti solent? Nonne ita cultum diuinum secundum regulas et leges opificum, qui ius excludendi et prohibendi pro more suo seuerissime exercent, diiudicamus et pietatem instar

*) Jurisprud. Consist. L. II. Tit. XVI. Def. CCLV. n. 3. 4. seq.

**) l. c. L. III. Def. XCV. n. I.



instar monopolii cuiusdam exercemus? Sed, nil amplius addam, quam illa LUTHERI verba, notatu maxime digna: *cogitur populus ad Parochiam et non obedit, quia coguntur sacerdotes euangelium annunciare et non faciunt*, sed quia tempus ad animos recreandos reficiendosue destinatum conterunt maligne atque inique pingendis aliorum leuioribus vitiis, quibus fors humana est inquinata, alludendo ad nomina eorum, qui casu in odium eorum incurrerunt omnibusque, quae dicunt, acerbis fastyras aspergendo; quia conterunt languida et minus comta nugarum aut fabellarum narratione: quia conterunt magna vociferatione atque inani strepitu, quo miserabilem ac triuialem eloquentiam ostentant.

b) Secundo veniamus ad *confessiones*. Hic Parochis competit forum certum poenitentiale, quo, qui ei sunt assignati, praecise ad confessiones ibi faciendas tenentur. Nec mirandum, si criminis iam illum accusatum videmus, qui in alieno loco verba diuina publice ac captui plebeiorum conformiter explicauit, quod, quale, quantum crimen illum, qui audit confessionem loco non proprio, et eum, qui recitat, committere putas? Rationem nimis odiosam facilius perspicias, est illa sacra auri fames, quae quum totum paene mortalium genus

nus



nus exagitet, singularis cleri praerogativa inprimis esse videtur, nec absque iusta causa, quoniam nimirum et eorum salaria saepius tam exigua atque infirma sunt, ut nummus confessionarius, quo exili nomine quoque grossos, florenos, thaleros et sic porro, comprehendunt salarii, non minimam partem constituat et reditus certe non imminuat, quin potius, quod nimis anxie saepius quaerunt, amplificet atque augeat. Quid itaque mirum, si quemlibet arcent ab audiendis confessionibus, nec facile patiuntur pristinum confessionarium mutare.

c) Tertio in distributione eucharistiae seu *Sacrae Coenae* cernimus quoque monopolium. Quamvis enim ad S. coenam illiusue usum ita non adstringamur, ut certo tempore, verbi causa in festo Paschatos more Pontificiorum a S. coena abstinentes crimen atrocissimum committamus, et publica doctrina ecclesiae nostrae neminem cogat aut violenter impellat, tamen priuatam doctrinam Carpzouii etiam hic dormitantis saepius publicae praelatam videmus, qua diutius a S. epulo abstinentes metu poenarum, adigendos censet. Cur autem tam seuere in illos gratiae diuinae contemtores inuehimur? pudore alios suffundi iam sentio, si rationes, ex quibus tanta in animos crudelitas originem traxit, rite perpendo. Etenim si quis

Sacra



Sacra coena non vtitur, confessionem non peragit, qua cessante cessat magna redituum pars.

d) Luculentius antecedente monopolii exemplum in *baptismo* reperimus, circa quem regula in omnibus pene ordinationibus ecclesiasticis inculcatur: *baptismus peragatur a cuiusque loci Parocho, in Parochia, ubi natus est infans*. Nullam necessitatis inuenire possum rationem, cur peccent tam grauitur, qui in alterius Parochi territorio infantem Sacro lauacro offerunt aut non-clerici hoc spiritali munere si perfunguntur in summo periculo, quum totus actus ab alio, qui aut plane non clericus est, aut extraneus *), etiam rite, quin saepius maiori cum pietate absolui possit, quam ab iis, qui ebrie, impudice, ac plane aliena quasi cogitantes accedunt, et in posteriori casu nil refert, vtrum baptismum dans sit clericus nec ne, modo obseruetur norma praescripta; in priori autem casu omnia ea accurate obseruantur, quae possunt et debent a proprio Parocho, libris praesertim baptismalibus inscribitur

*) Quin baptismum ab heretico peractum haud inuolidum esse declarat D. G. Eckard ad I. Schilteri Instit. iur. Can. L. II. Tit. II. §. VI. et A. a Leyser Instit. iur. Can. L. II. T. III. §. IV.



bitur dies natiuitatis ac baptismi, additur nomen et cognomen infantis cet. Tota igitur quaestio rursus ab auri argentique fame pendet. Haec ius ab hoc actu alios excludendi genuit.

e) Vnum denique tantum addam, ex quo iniquitas ista quoque cognosci potest, casum quidem omnibus aliis iniquiorem. Loquor de iure *sepulturae*. Nil sacri in sepulturis residet, et nihilo fecius sacris causis annumeratur cura mortuos sepeliendi, et ius bannarium omni rigore exercetur. Quod iure canonico tum maxime se exferit, si alibi, quam in ecclesia parochiali, mortuorum ossa terrae mandantur, ex dispositione enim *c. ex parte §. X. de sepult.* Parochianum peregrinum sepelientes, quem sepelire non debebant, *mortaliter* peccare dicuntur et coguntur restituere corpus proprio Parocho. Quanta impietate restitutio cadaueris petitur, inquietantur manes, sepulcra violantur! Nos quidem tam auare (auaritia enim et huius mali quoque est radix) non gerere videmur, attamen lites de peregrinis humanis, iisque qui vel duplicem habuerunt ecclesiam, aut de quorum Parochia dubitatum est, aliaque numero non comprehendendae controuersiae docent, ius funerandi esse *vsurarium*, quam saepe tristes pauperum ac calamitosas audimus de clericorum

corum avaritia querelas, quae summa penuria laborantes mortuum suum parentem, coniugem, infantem, aut amicum sepulturos expilavit atque exiit, vt quid caperet pro benedictione.

Merito notatur avaritia a STRYCKIO celeberrimo in *usu mod. ff. Tit. de relig. et sumt. fun. §. fin.* cuius verba ita se habent: *quoties per nouam Parochiam funus ducitur, noua funeralia exigunt (clerici), cum tamen nihil laboris aut incommodi sustineant.* Etenim vnde Parochis ius perfectum competat, quo iis annunciari mortuum per eorum Paroecias portatum iri atque iis funeralia solui debeant, non intelligi potest. Dispar est ratio, cur magistratui denunciatur, ne forte homicidia occultentur, qui tamen vectigal pro mortuis exigere non potest *L. fin. C. de relig.* Sed quid dicendum, si quis in vrbe aut pago mortuus, ad suam desertur ecclesiam? potestne Parochus illius loci, aut ecclesiae, in qua mortuus est, funeralia petere? sunt, qui putent exigi posse. Quo iure nescio. Opponam iis verba Stryckii paulo ante recensita, quum nihil laboris aut incommodi sustineant, nullam rationem nullumque firmum video fundamentum, ex quo clericis quid pro defuncto solui debeat. *Extendit tamen,* inquit consultissimus BOEHMERVS, in *Iur. Paroch. Sect. IV. c. II.*

§. V. *avaritia clericalis suum ius parochiale etiam ad hunc casum noua certe interpretatione, quae a communibus interpretandi regulis recedit.*

Cuique denique constat, sepulturam per illationem hominis mortui in sepulcrum definiiri. Porro mortuum omnium sensuum cogitationumque expertem atque vita priuatum nil sentire nulumque damnum aut commodum accipere, num hic, num illic sepeliatur, num in loco limitibus sacris sanctisque incluso corpus examinatum reponatur, num in via publica, intra ecclesiae muros, in foro publico, subter patibulum aut alibi, sciunt omnes. Attamen introduxit ius canonicum diuisionem sepulturae, qua quis vel honesta vel inhonesta dignus censetur sepultura, quam et nos recepimus Protestantes dici soliti, in hac autem re sicuti in pluribus aliis, quae sensibus nostris atque affectibus blandiuntur; melius non-dissentientes nominandi. Caeterum recte ea admittitur, si per inhonestam hominis immorigeri atque omnium vitiorum squalore maculati sepulturam aliis malitia ac nequitia contaminatis horror iniiciatur, modo cognitio causae semper relinquatur iudici seculari et quam rarissime mortuis honesta adimatur sepultura. Etenim clerici saepe iracundia moti, aliisque affectibus corrupti testimonium dicunt, a veritate


ritate plane diuersum, aut litteris scientiisue diuinis tam parum tincti, vt v. c. ab iis, quos ob haeresin tamquam pestem humanam quam maxime detestantur, non raro et in cognoscenda voluntate diuina et in ea exequenda superentur. Quid ergo? de haeresi iudicet laicus? crimen horrendum hoc putas? me vero non moues. Etenim si ob eam, cuius conscios omnes facile criminantur, honesta deneganda est sepultura, quod si saniora et mitiora praecepta anteferenda sunt cruentis atque inhumanis, non credo, non tunc disceptandum est an fuerit infensarum nobis aduersariorum affecla, sed, an mortuus vni religionum in prouincia, in qua defunctus vsque ad vitae finem commoratus est, aut in toto Imperio Germanico receptarum fuerit addictus, quaerendum, quod quisque ex plebe diiudicare facillimo negotio potest. Praecipue iis, qui manifeste religionem omnem atque inconsulto spernunt atque derident, si quis forte honesta sepultura priuari debeat, haec ignominia absque vlla iniuria adspargenda est.

Relinquam hanc largam differendi segetem et materiam quamuis inuitus, et hoc vno concludam: funeralia fieri gratis debere ex legis prouisione; expresse enim *c. 13. X. de sepulturis* vetat, ne quid vel pro loco, vbi mortuus infertur, vel pro funeralibus detur. Ridiculum igitur INNOCEN-



TIVM III. Pontificem declarat a. a LEYSER. in
Medit. ad ff. Spec. CXXIX. cor. III. quia ille in
c. 42. X. de Simonia sacrificulis quid exigere per-
 mittit, non pro exequiis, sed pro seruanda lauda-
 bili consuetudine. Eo enim modo veterem illam
 legem magis eludimus, quam explicamus, vt re-
 cte monet LEYSER. Verum enim vero et apud
 nos ridente vultu laudabilis consuetudo seruatur;
 quae auget diuitias, quanquam committi dicitur
 Simonia, si pro sepultura aliquid exigitur. Conf.
 PERTSCH *de crimine Simoniae Sect. I. C. VII.*
 §. *IIII. et V.* qui *l. c. C. VI. §. IV.* Simoniam in
 classem haeresium collocatam fuisse a GREGO-
 RIO M. testatur.

Haecenus de monopolio ecclesiastico, de quo
 quicquid disputavi, non eo consilio dicta volo, ac si
 ordinem commodum in coetu sacro sublatum velim,
 aut muneris sacri dignitati officiam. Tyrannidem
 modo reprehendo et sacram auri famem, quae tan-
 tum malorum semper suauit. Etenim vt praecipua
 atque conspicua recenseam, libertas conscientiae aut
 religionis infringitur, augetur ambitio atque avari-
 tia cleri, crescit odium in sacerdotes, quin ipsa reli-
 gio damnus non mediocre sentire videtur. Quae
 quidem et caetera, quae inde nascuntur, mala
 pertractanda ad aliud tempus differam.



in
in
ber-
da-
am
re-
oud
ur;
tur
nf.
II.
in
o-

uo
e fi
m,
em
an-
ua
aut
ri-
li-
ae
ala


Kr 2431

vd 18

ULB Halle 3
005 712 041







80

OBSERVATIO
DE
MONOPOLIO SACRO
MAXIME PERICVLOSO

86

Q V A M
V I R O
CLARISSIMO AC IVRISCONSVLTISSIMO
GOTTLIEB
WERNSDORFIO
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS PROTO
NOTARIO IVR. VTR. CANDIDATO CAVSSA
RVMQVE PATRONO RECEPTO
SVMMOS IVRIS HONORES

CAPESSENTE
D. XI. MENS. OCTOBR. cIoIoCCLXXIII
AMICITIAE ET MEMORIAE TESSERAM

1522431

D
GÜNTHER A BÜNAV
EQVES LVS.

VITEMBERGAE
LITTERIS C. C. DÜRRII ACAD. A TYPIS

6. 7. 06.

